



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Annotationes Ioannis Bugenhagij Pomerani in decem epistolas Pauli

Bugenhagen, Johannes

Basileae, 1524

VD16 B 9232

Capvt II.

urn:nbn:de:hbz:466:1-36165

Quæ ad hoc caput pertinent, ferè ante exordium huius epistolæ diximus. Est autem tota disputatio contra doctrinas & traditiones humanas.

Solicitudinem &c.

Ne lupi, id est iustitiæ humanæ prædicatores, inuadant simplicitatem gregis dominici, ij sunt pseudopostoli, sic dicit Ephesiorum episcopis Actorum. 20. Ego scio quod intrabunt, &c. Vnde 2. Corinth. II. Inter labores suos etiam numerat sollicitudinē omnium ecclesiarum.

Vt consolationem accipiant.

Vel potius, ut confirmetur, qui iam sunt unū in charitate, hoc est ne patiantur se sectis operum separari, sicut hodie sectas uidemus, postquā à simplicitate uerbi dei ad doctrinas operū desciiuimus. Et confirmetur inquit, ad omnē opulentiā, siue abundantiam certissimæ intelligentiæ, ut audeant ex corde dicere: Etiam si angelus è coelis aliud Euāgelizet, anathema sit. Hoc scilicet est uere credere, & agnoscere mysteriū dei patris, & Christi: mūdo, hoc est carni & sanguini incognitū. Quandoquidē non in rebus externis, sed in spiritu regnū dei et Christi eius est in nobis, in quo Christo sunt oēs thesauri sapiētiae et sciētiae dei recōditi. Ergo Christo uere cognita, nihil opus est, ut aliud extra Chri-

ANNOT. IOANNIS POMERANI

stum sapias, aut scias: imò quicquid huic sapientiæ & scientiæ addere cupieris, uanum est & Christo aduersum. Iniuriã enim facis Christo, quasi illi aliquid desit sapientiæ & scientiæ. Qui in Christo sapiens est, & prudens, atq; per hoc contemptissime reijcit Paulus doctrinas humanas, imò etiã iustitias carnales operum legis dei, dicens: Hoc autem dico, id est ad hoc his uerbis tendo, &c.

Probabilitate

Id est, sophisticis argutijs, rhetoricis argumētis, quæ si uerisimilibus specioso fūco rationis humanæ, quasi in alijs foris nitidis, & in speciem sanctis rebus sit iustitia: & nō in sola Christi cognitione, id est fide. 1. ad Corinth. 2. Sermo meus non fuit in persuasorijs humanis sapientiæ uerbis, &c. Vide quæ illic dicuntur de sapientia uera, & sapientia humana.

Quamuis carne, &c.

Sic, 1. ad Corin. 5. Ego quidem absens corpore, præsens autē spiritu, id est animo, uoluntate & adfectu.

Elementa mundi.

Vocat res externas, id est nō spirituales, hoc est quæ nō sunt in spiritu, siue sint opera ab hominibus inuēta, siue etiã opera legis diuinæ secundū carnē, id est exteriorē fūcū intellectæ, ut aperte uides ad Gal. 4. Quomodo cōuertimini iterū ad infirma et imperfecta mūdi, quibus

IN EPI. PAULI AD COLOS. 41

quibus denuò seruire uultis? dies obseruatis &c.

Non iuxta Christum,

Cuius regnum & iustitia in spiritu est, non in exter-
nis rebus, aut operibus. Regnū, inquit, meum non est
de hoc mundo. Spiritus est deus &c.

Quoniā in illo inhabitat omnis
plenitudo deitatis corporaliter.

Supra dixit, in Christo esse omnes thesauros sapien-
tie & scientiæ dei, ne quid opus esse scires alia sapien-
tia & scientia: hic uero quasi plus addens, imò omnia
in Christo complectens dicit, Quoniā in illo &c. Ne
opus putes esse alia iustitia extra Christū. Cum Chri-
stum habes, uerè deum habes: non in figuris & re-
presentatiue, ut olim in ceremonijs & operibus le-
gis. Et hoc est quod ait, corporaliter, id est uere, non
umbratice: ut distinguas hic corpus non contra spiri-
tum, sed contra umbram. Umbra enim & figura solū
fuerūt illa priora huius gratiæ dei, quam habemus in
Christo: sicut infra, Quæ, inquit, sunt umbra futuro-
rum, corpus autem Christi.

Estis in illo completi.

Id est, in illo uobis nihil deest. Frustra ergo extra
eum aliquid queritis. Nihil enim tam sublime, siue in
cælo siue in terra, cuius ipse non sit dominus, quippe
qui uere deus est. Est ergo & dominus legis diuinæ,

f

ANNOT. IOANNIS POMERANI

ne quis hic obijciat, non esse eum à deo, qui legem diuinam abrogat, sicut calumniabantur Iudæi. Non est uastator legis, qui legem implet, q̄ facit quicquid lex requirit. Nō uobis igitur prædicent circumcisionem, ut reddant obnoxios ad uniuersam legem, ut dicitur ad Galatas 5. Quod circumcisi estis à peccatis in spiritu, & commortui Christo per baptismum, ut amplius uiuatis non secundum carnem. non in elementis huius mundi, quasi in talibus sit iustitia: ut infra uidebimus. Et conresurrexistis per fidem iam, quam operatur in uobis deus potentia, qua excitauit Iesum à mortuis, ut uides Ephesios 1. De circumcisione uero & baptismo diximus ad Philippenses tertio.

Et uos.

Idem locus est ad Ephe. 2. & similiter de abrogatione legis. Per præputium, id est per gentilitatē, qua in carne uiuebatis uere mortui coram deo. Hoc præputium est, ubi nondum facta est aut cœpit illa spiritalis circumcisio.

Condonans nobis omnia &c.

Vbi lex peccatū cordi nostro reuelat, id est facit conscientie peccatū, & cōfundit. Adeò fortiter hoc ipsum peccatum nostrum inscribit cordi, siue conscientie, ut nullo modo deleri possit. Hinc factum, ut quidam sibi ipsis mortē cōsciuerint, alij uero, ut dicitur ad Ephe.

IN EPI. PAULI AD COLOS. 42

4. posteaq̄ peruenerūt eò, ut dolere desierint, semet
 ipsos tradiderunt lasciuiæ ad patrandum immundici-
 am omnium cum auiditate. Iam uides legem, cum sit
 tantū cognitio peccati, ad Rhom. 7. nihil aliud pos-
 se quàm confundere & damnare, & desperationem
 agere. Est enim lex uirtus peccati. 1. ad Corinth. 15.
 Quis ergo nos liberabit ab hac infelici conscientia, ni-
 si solus Christus? Si credis in Christum, iustitia Christi
 tua est, & protinus peccatum tuum nihil est, & eua-
 nescit à prudentia huius fidei ut fumus, totus ille infe- ^{præstia}
 rorum exercitus, qui te reum agebat, ut possis hic
 morti, peccato, & inferis insultare, dicens: Abfor-
 pta est mors in uictoria, 1. ad Corinthios 15. Hæc e-
 nim deuicta sunt per Christum, & tibi deuicta sunt,
 modò hoc deuictum credas. Nam ipse, ut hic dicitur,
 condonauit nobis omnia delicta per suā sanctificatio-
 nem, quā impossibile erat præstari à nobis. Ipse enim
 satisfecit gratis pro nobis, deleto chirographo, id
 est scriptura conscientie nostræ, quæ aboletur, ubi cre-
 dis Christum tuam esse iustitiā. Quod chirographū
 erat nobis aduersum per decreta, id est per legē dei, ^{Statuta}
 quæ nos reos agebat: quod abstulit Christus, adfigens dei,
 illud cruci. Si ergo credis in cruce satisfactum pro pec-
 catis, iam amplius conscientia tui peccati, quantum-
 uis magni, non te condemnabit, sed pacata conscien-
 tia gau debis te in Christo esse saluum, qui in te da-

ANNOT. IOANNIS POMERANI

mnatus es, nisi putes salutē Christi non esse potentio-
rem tua damnatione. Hic mortis dominos & princi-
pes tenebrarū, qui sunt conscientiarum tortores, pa-
lām duxit in triumpho per semetipsum: id quod fieri
impossibile est per nos, aut studia nostra. Atq; hic ui-
des iterum insignem abrogatā per Christum legis lo-
cum, qui est & in Ephe. cap. 2. Igitur inquit Paulus,
Quid adhuc decretis & statutis legum in conscientia
uestra tenemini, quasi ea uel officiant uel prosint ad
iustitiam?

Quæ sunt umbra &c.

Lex prohibebat edere immunda, Leuit. 11. Quod
significabat mundum debere esse dei populū, ad Ti.
1. Omnia munda mundis &c. Festa nouilunia, & sab-
bata, Leui. 23. significabant gaudium conscientie, in-
nouationem hominis, & sabbatum illud christianum,
quo requiescimus ab operibus nostris, nō facientes uo-
luntatem nostram, sed dei operātis in nobis per euan-
gelium suum à nobis creditum. Propterea uocat Pau-
lus hæc umbrā & figurā futurorū, id est future grati-
e, quæ est per fidē in Christū. Hæc etiam reijcit Esa-
ias cap. 1. Quia qui hac hypocrisi legis utebantur, e-
rant immundi coram deo, id est increduli. Umbra in-
quam erant, corpus autem, id est ipsum sanctificatiū,
& ipsa rei ueritas est Christi, id est in Christum, sive
in Christi gratiam, quæ uere iustificat.

Non edere
immunda

Sabbatum
christianum

Ne quis uobis palmā interuertat.

Id est fraude efficiat, ne palma uictoriæ uobis detur, ne ad scopum præfixum perucniatis, &c. Verbum enim græcum hic significat intercipere præmium, siue brauion, aut scopum transferre ne quis uincat. Id quidem pro se faciunt, qui aliam iustitiam quàm Christi docent, & Christum qui prope factus est nobis in sanguine suo, longe transferunt à nobis. In primis quæ data opera, simulata humilitate & modestia, & superstitione reuelationum fictarum, et uita angelica seducunt & dementant totum ferè orbem, ut diximus supra. Superbi sua sanctitate, quæ est hypocrisis & fermentum illud phariseorum adfirmantium ea, quæ nõ intelligunt, qui non tenent caput, id est Christum: nam Christi iusticiam ignorant, ergo nihil magis uitam habent, quàm corpus sine capite: & æque patent ruinae ad insultus procellarum ac domus sine fundamento. Caput est uita & augmentum corporis, ad Ephe. 4.

A mente carnis uestræ.

In quo uides facile quid carnem soleat uocare Paulus, nempe quicquid à spiritu dei nõ proficiscitur, aut Caro apud Paulum, ad spiritum non pertinet, aut omnino diuersum est à spiritu: quod carnem etiam uides menti tributam &c.

Itaque si mortui estis.

Argumentum, Mortui estis cum Christo, quid ergo

ANNOT. IOANNIS POMERANI

quasi uiuentes, elementis mundi seruire uultis? id est
 in externis rebus quærere dei iustitiã. Quid permit-
 titis uos legibus obstringi humanis, quos Christus se-
 cit in conscientia liberos? quid finitis uobis dici, ne te-
 tigeritis? &c. Quæ omnia pereunt abusu propter tra-
 ditiones hominum, quæ tangere, gustare, cõrectare,
 alioqui non esset neq; malum, neq; bonum. Legitur et
 sic, Quæ omnia percunt ipso usu, id est utendo consu-
 muntur. quasi diceret, Iustitia dei æterna est: quicquid
 perit usu æternum non est, ut sunt omnia externa: er-
 go in talibus iustitia dei non est, &c. Apparent quidẽ
 sancta, sed ficta sanctitate & humilitate, id est hypa-
 critica deuotione, ita ut etiã ne necessaria quidem cor-
 pori tribuant, aut parcant. Ecce habes religiones fras-
 trum, etiam illorum qui sua opinione se sanctos nõ iu-
 dicare non possunt, & tales sunt qui nobis ieiunia, &
 disciplinas tanta specie cõmendant, ac merita uendunt.
Ieiunandum quidem est necessitate corporis castigandi,
 ne superbiat contra spiritum: sed non secundum rea-
 gulam & prescriptum ieiunandum. Orãdum est, sed
 non iuxta ordinarium aut statuta, sed iuxta desiderium
 cordis &c. Idcirco sic Paul. 1. ad Tim. 4. Exerce
 te ipsum ad pietatẽ. Nam corporalis exercitatio &c.
 Mortificationem enim non recte intelligunt, quam in-
 terpretatur nobis Paulus capite sequenti, Mortifi-
 cate &c.

Ieiunium

Oratio